



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. I. Præmittuntur aliqua de natura Privilegiorum Bullæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

TRACTATUS

DE

BVLLA CRVCIATÆ.

CAPUT PRIMUM.

Premittuntur aliqua de natura Privile-
giorum Bullæ.

§. I. Quid, & quod simplex sit Privilegium.

1. **D**IFFERT proprie loquendo Beneficium à Privilegio, quamvis utrumque sit à Principe benigne concessum: fateor tamen aliquando confundi. Beneficium enim est gratia, seu facultas à Principe collata, seu data, præter, non vero contra jus positivum: Privilegium vero est facultas faciendi aliquid, vel aliquid omittendi, non tantum præter, verum etiam contra idem Ius, hoc est contra leges Canonicas, vel jura Civilia. Ita communiter Doctores ex Abbate c. olim de verb. sign.

2. Porro privilegium, aliud est Reale, quod scilicet conceditur certò generi Actionis, vel causæ vel Negotii, vel Loco, vel Dignitati: quale est v. g. Privilegium Prælationis, quod concessum est pro expensis funerum, vel mutuam dantis Navis v. g. ref. etionem, &c. Ita Azor. lib. 5. c. 22. vel donantis aliquid Ecclesiæ, vel Episcopo, ut Episcopo, &c.

3. Aliud Personale, quod conceditur personæ, ratione ipsius personæ, ipsique immediate adheret. Quale est v. g. quod conceditur alicui individuo, Petro v. g. &c.

4. Aliud Mixtum, quod partim est personale, partim Reale, quod nimirum conceditur quidem alicui individuo, sed ratione ætatis v. g. vel sexus, vel ex certa & determinata causa. Quale est v. g. datum minoribus 25. annis, ut in integrum possint restitui, ut fidejuberem pro alio, vel obligationem suscipere nequeant.

5. Subdividitur autem personale: nam si sit concessum singulari personæ tantum, vocatur in jure absolute Privilegium. Ex cap. volentes, de off. legati. Si vero sit concessum personis, non ut singulis, sed ut constantibus unum corpus morale, hoc est, unam communitatem, dicitur Privilegium Corporale.

6. Rursus hoc corporale subdividitur, habet enim duas species. Si enim conceditur ita communitati, ut descendat ad singulas personas, hoc est, ut singulæ sint, & ut membra talis communitatis possint uti illo Privilegio, vocatur Privilegium corporale personale, & hujusmodi sunt multa concessa Religiosis, Clericis, Militibus, Scholasticis, & similibus. Si vero ita communitati conceditur, ut ipsa sola communitas uti eo Privilegio possit, dicitur Privilegium pure corporale; & hujusmodi sunt, quæ conceduntur Capitulis, & similibus in electionibus faciendis, atque in actionibus à tota communitate, v. g. à Senatu, à Congregatione, seu Concilio expediendis. Atque hoc Privilegium, quia respicit dignitatem ipsam, nempe ipsam unionem multorum vocatur ab aliquibus, ut notat Salas de leg. tract. 1. d. 17. sect. 2. Privilegium Reale. Alias Privilegiorum divisiones vide apud Sylvest. V. Privilegium, apud Castr. tom. 1. tract. de Privil. Intro, & passim.

§. II. Privilegia Bullæ Cruciatæ cujus sint generis?

1. Dicendum est, cum Henriquez, Rodriguez alium passim in rr. de Bulla, esse personalia absolute. Ratio est manifesta ex dictis. Ea enim sunt à Principe concessa determinatis personis utriusque sexus, & quæ ad finem peculiarem excitandi Fideles ad propagandam, vel ad precandum, vel ad erogandum elemosinam contra Infideles. Nam propterea sic potes describere Bullam Cruciatæ. Est diploma, seu Scriptura Summi Pontificis continens aliqua Privilegia, quæ ipse concessit Fideles cooperantibus, sive per pugnam, sive per precia, sive per elemosinam, ad extirpandos Infideles.

2. Dicitur autem (Bulla) quia vox hæc Bulla significat (quantum ad nos facit) sigillum petens et littera Apostolicis, atque adeo per figuram Synecdochæ, sumitur pro ipso toto Diplomate.

3. Dicitur præterea Cruciatæ, quia olim Bullæ hæc concedebatur militibus, qui signo Sanctæ CRVCI insigniti ad bellum contra Turcas proficiscebantur sub Urbano II. & in Concilio Lateranensi sub Inno III.

4. Ex eo, quod sint personalia ejusmodi Privilegia, sequitur durante Concessionis anno, te Bullam hæc tem posse ejus Privilegiis uti, quocumque te contineas, etiam extra Regnum, in quo ea promulgatur, quia Privilegium personale adheret personæ, ex Reg. 2. de Reg. juris in 6. Excipe Privilegium ciborum prohibitum, quod etiam occultè, & sine scandalo uti non potes extra Regnum; quia, ut infra dicemus, id expresse prohibetur.

§. III. An plene, an stricte sint Privilegia Bullæ interpretanda?

1. Communis est Doctrina, Privilegia, quæ sunt contra jus commune, hoc est, quæ conceduntur huius, vel omitti aliquid, quod alias erat ex jure facendum, vel omittendum, debere stricte interpretari, quia (ut loquimur, & egregie declarat Tirac. in l. si quis in 7. lib. 1. n. 19.) quod exorbitat, hoc est, quod te subleat à communi Iure, odiosum est, atque adeo quantum fieri potest, restringi debet, ne Ius, quod propter unum commune latum est, corrumpat cum communis bono damno.

Contra, Beneficium Principis proprie acceptum, quia (ut vidimus) non est contra jus commune, debet largitè interpretari, cum Beneficia Principum supponantur ex liberalitate Principe digna, hoc est, magna, piosifici. Excipe (ut ex se patere debet) nisi sit in prejudicium Tertiis, hoc enim semper vitare velle, putant principes.

2. Ex hac ergo doctrina sequitur, Bullæ Privilegia, cum plerumque ex illis vulnerent jus commune, quales v. g. illud de lacticiis comedendis quæ non esse comedenda diebus vetitis, præcipit jus, sequitur, inquit, stricte esse interpretanda.

3. Et certe ita absolute sustinet Sanchi. lib. 8. de Matrim. disp. 2. mm. 7. cum multis de omni us Bullæ Privilegiis, estque hæc sententia satis probabilis, quoniam etiam sequitur Barb. in Bull. Cruc. p. 1. tr. 1. cap. 3. Nam primo

CAPVT II.

Dispositio tractandorum.

per Indulgentias, quæ conceduntur in Bulla. Pœnitentialis satisfactio, & rigor Ecclesiasticæ disciplinæ facile potest occasione Indulgentiarum enervari. Secundò, electio confessarij, posse interesse sacro tempore interdicti, usus lactimorum diebus prohibitis, & similia privilegia Bullæ sunt contra ius commune atque adeo odiosa, ergo stricte sunt interpretanda ex dictis num. 1. Tertiò, quia partem discordare à toto, odiosum est, sed id contingit per privilegia Bullæ, ergo, &c.

4. Andreas autem Mendo d. 1. Elucid. Bull. Cruc. à n. 46. & rursus contra Bardi in App. d. 1. cap. 1. Dianam, aliosque citans, sustinet, esse ample interpretanda; estque hæc item sententia satis probabilis. Et quoad indulgentias, eam docet etiam Suar. de pœn. q. 62. sect. 5. alique, nam primo quoad has indulgentias, illæ sunt beneficium principis, ergo cum sint sine præiudicio tertij, non est unde sint limitandæ. Neque eadem sunt contra ius ullum; ipsæ enim ita commode Fidelibus afferunt, ut nullum offendant; nam Deo integra fit solutio, & quandoquidem fit ex meritis infinitis Christi Domini, cuiusque auctoritate, nullum subest periculum, quo ea merita, hoc est, meritorum Christi Domini thesaurus exhauriatur. Ecclesia item nullo pacto læditur, immò potius per acquisitas indulgentias purior, & in suis membris Deo gratior redditur.

5. Secundò, quoad privilegia continentia potestatem dispensandi vel commutandi, vel absolvendi, idem dici potest, per ea scilicet, nec lædi Deum, nec Ecclesiam.

6. Tertiò, quoad omnia Bullæ privilegia probatur. Nam privilegia & beneficia concessa à Summo Pontifice in favorem fidei, & religionis, quamvis exorbitent à iure, ample esse interpretanda, merito docet Azor. lib. 5. c. 23. q. 2. & Suar. q. 56. sect. 2. quia debemus, quantum possumus fidei favere, ac iudicare, Pontificem idem amplissime facere voluisse. Semper autem hic, & in similibus, intellige in iis, circa quæ Pontifex, vel princeps potestatem habet. At privilegia Bullæ omnia (ut modo diximus) sunt concessa, ut fideles excitentur, vel ad pugnandum, vel ad orandum, vel ad porrigendam elemosynam contra infideles; ergo, cum sint in favorem fidei concessa, ample sunt interpretanda.

7. Confirmatur, quia est probabilis opinio, quam tenet Henric. lib. 7. de indulg. c. 22. §. 11. & c. 24. §. 5. Sanch. l. 8. m. d. 1. n. 13. Salas l. 1. d. 17. §. 6. alique, privilegia concessa communitatibus Religionum in perpetuum latè esse interpretanda; cum enim communitati, & non uni personæ concedantur, favorabilia sunt iudicanda, quia æquiparantur legibus, perinde ac incerta essent in corpore iuris: bono enim communi expedit, ut multa privilegia concedantur religionibus, ut iis beneficiis illustri Fideles, eas promptius amplectantur. Probabile item est idem debere sentiri, (ut sentit Salas l. c. n. 13. citatus) de privilegiis concessis in favorem causæ piæ. Unde Azor. l. c. id extendit ad concessa in favorem personarum miserabilium.

Si hæc igitur sunt probabilia, cur non erit item probabile id quod asserimus de Bullæ privilegiis, quæ sunt concessa communitati Fidelium existentium sub dominio Regis Catholici, eaque in favorem fidei, quæ est omnium causarum piarum excellentissima.

8. Rationibus in contrarium allatis num. 3. responderi potest, vel multa privilegia Bullæ non esse odiosa, cum non sint contra ius, vel esto sint contra, ideo non sunt vocanda odiosa, quia vincit favor fidei, vel illa alia capita numero præcedente indicata; unde potius sunt dicenda favorabilia.

Utraque ergo sententia probabilis est, amplectique tuto potest.

CLAUSULA IV.

Item conceditur omnibus prædictis hoc est, Christi Fidelibus consistentibus, & declinantibus in hoc Regnum (nec non iis, qui nec ibunt, nec mittent, si intra dictum annum, ex bonis sibi à Deo collatis, in hanc expeditionem pro religionis defensione liberaliter contulerint, ut dicto anno durante, possint frui sequentibus privilegiis.

CAPVT. III.

Explicans prædictam quartam Clausulam Bullæ Cruciatæ quoad priores partes Clausulæ.

§. I. A Christi fidelibus.

1. Dubitari potest Primò, de Hæretico externo. Secundò, de merè interno. Tertiò, de Schismatico. Quartò, de Cathecumeno, nam fidelis baptizatus, sine ulla dubitatione, etiam si sit in statu peccati, mortalis, vel etiam si sit excommunicatus vitandus valde Bullam sumit. Lege Castrop. de Bull. Cruc. disp. unic. p. 2. n. 12. & 13. multos citantem, quicquid alij dicant in oppositum.

Hæreticus externus.

2. Hic nullo potest Bullæ privilegio gaudere, siue sit externum publicè siue occulte, patet, quia non est ex iis, ad quos dirigitur Pontificis concessio.

3. Illud concedimus, si quis cum sit baptizatus, incidat in hæresim externam; sed deinde ipsum pœniteat commissi delicti, velique redeat ad fidem, possit frui Bullæ privilegiis. Neque id mirum, quia iam fidelis, tunc acta est, posito quod hæresim abiureret, volendo ad fidem redire. Ita Trullench. apud Mendo, quem affert, sequiturque Mendo, disp. 4. num. 14. & rursus in App. d. 1. num. 3. sine.

Hæreticus merè internus.

4. Hic probabiliter potest frui, probabiliter non potest, privilegiis Bullæ. Potest quia ex una parte, hic est baptizatus, & ex alia solum internam hæresim Ecclesia non indicat, ergo neque privilegia, quæ aliis baptizatis